



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

7. De excellentia eiusdem quatenus est Sacrificium

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

tatis, charitatis excessus, æterno foret gratitudinis, amoris, deuotionis affectu compensandus?

VII.

De excellentia eiusdem, quatenus est Sacrificium.

I. **C**Hristus in hoc diuinissimo mysterio non solum dedit se nobis in spirituale nutrimentum nobilissimum, sed etiam in sacrificium eminentissimum, cuius magnitudo & excellentia quoad latitudinem hinc potest æstimari, quod illud latissime se extendat ad omnes fines, effectusque omnium sacrificiorum legis naturæ & scriptæ. Sicut enim in se continet omnes perfectiones quadruplicis sacrificij: latreutici, Eucharistici, propitiatorij, impetratorij: ita valet ad omnes omnium istorum sacrificiorum fines promerendos, cum in eo omnia & singula infiniti meriti desideria & obsequia Christi infinite grati æterno Patri offerantur. Quam eximium ergo beneficium, & rarum diuinæ bonitatis, liberalitatis, amoris monumentum merito est censendum hoc diuinissimum Sacrificium? quæta proinde re-

de reuerentia, deuotione, gratitudine, alacritate ad illud audiendum, vel offerendum anhelandum? quam accuratè præparatio præmittenda, & gratiarum actio subiungenda? Gratitude, amor, zelus piè celebrandi vel audiendi Missam.

II. Quoad sublimitatem, & profunditatem, quod illud sit infiniti pretij & valoris ad prædictos effectus omnes impetrandos, eò quod & res oblata, & primarius offerens, sit Christus ipse verus Deus & homo, qui cum omnibus quæ pro gloria Patris & amore nostræ salutis fecit, dixit, passus est, seipsum offert diuinæ Maieftati, per quosuis ritè ordinatos Sacerdotes, tanquam secundarios offerentes, & vicarios suos, quantumuis indignos & impios.

Quis dignè æstimet tam sublimis Sacrificij dignitatem? quis non obstupescat, & tantam primarij offerentis maieftatem, & tantam simul eiusdem tam indignorum ministrorum operâ vrentis humilitatem! Affectus ijdem.

III. Quoad longitudinem, quod Filius Dei hoc ipsum sacrificium, ex

eodem gratuito & infinito amore, per eisdem vicarios suos tam indignos ab æterno decreuerit offerre; in tempore à prima eius institutione offerre dignatus sit, hodieque offerre dignetur, atque porro offerre paratus sit, vsque ad consummationem sæculi, & quidem ad excellentes gratiæ & gloriæ gradus æternùm duraturos Electis suis promerendos. Affectus ferè ijdem.

Possent etiam hic usurpari Meditationes prolixiores de modo piè communicandi, celebrandi, & audiendi Sacrum, & Venerabile Sacramentum inuisendi, assignata in Ench. Industriarum suis locis,

Finis Meditationum tertie Partis.